

*Testium ignotorum productio.*

1. Imperator *hic* testium, quibus potissimum probationes fiunt, (Nam delicta instrumentis regulariter non probantur; ut copiosè tracto *disc. Acad. 2. concl. 23.*) materiam subjungit, quam eleganter, nervosè, & doctissimè tractat post alios *Prosper Farinacius*. Facit autem testimonium Judici suspectum inter alia, si testis sit ignotus, quem scilicet reus, neque de auditu, neq; de visu, notitiaq; quamvis levissima agnoscit, nisi producens sive actor eum esse fide dignum probarit, *Farinac. in tract. de test. tit. 2. q. 62. tit. 6. nu. 7.* quem allegat *Steph. hic.*

2. Judicis est, de testium conditione inquirere, atque ex officio inhabiles, & non fide dignos, etiam nemine excipiente, repellere, *Gobler. artic. 62. in auctar.*

## ARTICULUS LXIV.

*De precio corruptis testibus.*

1. Hi testes omni jure reprobantur.

*Nec benè conducti vendunt perjuriam testes. Ovid.*

imò competenti pœnâ afficiendi sunt, & tenentur pœnâ falsi, *Steph. hic, Gobler. art. 63.* Si corruptus deponat contra corrumpentem, eum non puniendum esse concludit *Myns. cent. 6. obs. 67.* quod cum micâ falsi intelligendum putat, *Zieritz. hic, verb. pœna legibus constituta.*

## ARTICULUS LXV.

*Quomodo testes deponere debeant.*

1. Causam scientiæ dicti sui reddat testis, aliàs non deponit, ut homo, sed ut pecus, *Steph. hic.* Vide *Zieritz. c. 65. verb. quod ipsi sciunt, & verb. scientiæ causas,* dicit hoc fallere in interrogatoriis. Quod si verò dicit, se ab aliis audivisse, parum roboris hoc habet testimonium, sed ea attestatio recipitur, quæ per facti evidentiam, seu oculorum inspectionem constat, quam *Azo* omnium certissimam vocat. Plus enim testem oculatum unum, quam decem auritos, etiam si *Midæ* aures habeant, valere ex *Plauto in Trucul. lippis norum,* & tonsoribus, ut cum *Horatio 1. serm. 7. loquat.* Certior enim aure arbiter est oculus. Neque enim, ut *Naso* canit:

*Affectus similis aut impetus idem,*

*Rebus auditis conspicuisq; venit.*

siquidem secundum *Senec. lib. 1. Epist. 6.* homines semper amplius oculis, quam auribus credunt. Vide *Nic. Reusner. class. 1. Symb. Imper. 36. in fin.*

2. Notandum tamen attestationem de auditu utiq; non sufficientem, *Menoch. de arbit. jud. quest. cas. 475. num. 4. Fiehar. cons. 105. n. 10. vol. 2* non tamen nullius momenti esse, ut notat post *Hector. Emil. Zieritz. hic, verb. utiq; haud sufficiens.*

ARTI-